

& plurimis figuris obscuratus, & omni inhonestate prostratus caneatur, secundus uero & manifestus & deo condignus, iccirco quem facile & intelligere & credere potuerunt, eum solum intuentes, id est secundum qui est in honore & gloria, non immerito decepti sunt circa indigniorem certe obscuriorem, id est primum. Atque ita in hodiernum negant uenisse CHRISTVM, quia non in sublimitate uenerit, dum ignorant in humilitate primo fuisse uenturum. Sufficit huc usque de his, interim ordinem CHRISTI decucurrisse, quo talis probatur, qualis annunciabatur: ut iam ex ista consonantia scripturarum diuinarum intelligamus, & quae post CHRISTVM futura praedicabantur, ex dispositione diuina credantur expuncta. Nisi enim ille uenisset post quem habebant expungi, nullo modo uenissent, quae in aduentum eius futura praedicabantur. Igitur si uniuersas nationes de profundo erroris humani exinde emergentes ad deum creatorem & CHRISTVM eius cernitis, quod prophetatum non audetis negare. Quia & si negaretis, statim uobis in psalmis sicuti iam praelocuti sumus, promissio patris occurreret dicentis: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Pete a me & dabo tibi gentes hereditatem tuam & possessionem tuam terminos terrae. Nec poteritis in istam praedicationem magis David filium Salomonem uindicare, quam CHRISTVM dei filium dicere: nec terminos terrae, David filio promissos, qui intra unicum Iudaeam regnauit, quam CHRISTO filio dei, qui totum iam orbem euangelij sui radijs inluminauit. Denique & thronus in aeuum magis CHRISTO dei filio competit, quam Salomoni temporali scilicet regi, qui solo Israel regnauit. CHRISTVM enim hodie inuocant nationes, quae eum non sciebant, & populi hodie ad CHRISTVM confugiunt, quem retro ignorabant. Non potes futurum contendere, quod uides fieri. Haec autem prophetata nega, cum coram uidentur, aut adimpleta cum leguntur: aut si non negas utrumque, in eo erunt adimpleta, in quem sunt prophetata.

Q. S E P T I M I I F L O R E N T I S

T E R T V L L I A N I, A D V E R

S V S I V D A E O S L I

B R I, F I N I S.

Argumentum